



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Carolus Sancti Caesarei Cardinalis Barberinus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

Franciscus Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis
Maidalchinus.

Beatissime Pater. Si Diuinæ oraculo veritatis, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris, ille beatus est vir, & merito fecisse dicitur mirabilia in vita sua; multo certè beator, multoque mirabilior dicendus erit Beatus Thomas de Villanoua Valentia Antistes, qui non modò quicquid habuit auri in opulentissima Ecclesia, quicquid thesauri, id totum profusissime in pauperum sinu collocauit, vbi neque arugo, neque tinea demolitur; nec fures effodiunt, aut furantur; sed pluribus etiam patris miraculis probè ostendit, quàm sit mirabilis Deus in Sanctis suis. Tam Beatum ergo, tamque mirabilem Virum iungat Sanctitas Vestra, de more, Sanctorum choris, vt illum noua hac honestatum pompa, intercessorem habere mereamur in Coelo. Sic enim futurum confidimus, vt tota statim Ecclesia, beatam pariter ac planè mirabilem consequi debeat tranquillitatem, & pacem.

Carolus Sancti Cæsarei Cardinalis Barberinus.

Beatissime Pater. Christi Vicarij dignitas quanta sit, hoc maxime liquet, quòd mortales supra sortem mortalium iam positos, solus ipse confirmet: Principes enim in Terris constituere, alijs quoque concessum; in Coelis autem deolare, huic vni datum. Beatum verò Thomam à Villanoua horum numero S. V. decreto esse adscribendum, omnigenæ persuadent virtutes, quæ in eo ad Archiepiscopatum, reluctanti licèt, euecto, potissimum micuere. Si enim erga Ecclesiam suam studium spectemus; prodesse illi maluit, quam præesse: si sollicitudinem in egenos, eorum postulationes, vel præuenit, vel superuenit: Si denique charitatem, & beneficentiam in omnes; summæ diuitiarum affluentia iunxit paupertatem: Perfectionis nimirum exemplar vel ipsa dilectione se præbens, qua vna omne instauratur manda-

M tum,

tum, & legis attingitur plenitudo, Quapropter, accedentibus signis, quibus etiam post mortem mirabiliter clausit, sacros eximio huic Sacerdoti honores, S. V. autoritate incunctanter censeo deferendos.

Decius Sancti Hadriani Cardinalis
Azzolinus.

Beatissime Pater. Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito. Thomæ Charitas thesaurum hunc eduxit è latris, ac iam non absconditum, sed Ecclesiæ vniuersæ expositum thesaurum, quem publicè portauit, imò effudit in via, possidet felix in Patria. Thomas verè fidelis, qui non opus habuit digitem inferre vulneribus, vt Christum agnosceret: sed benè tetigit Christos Dei, dum manus suas extendit ad pauperes, eorum egestati aperuit, plagis admouit. Quando igitur tanta animorum, ac rerum dissidia Christianum orbem vndique distrahunt; quid utilius; quid opportunius; quàm exponere fidelium oculis exemplar pulchræ dilectionis, & obijcere viris sanguinum, Virum Charitatis? Profectò nihil erit incitamenti vehementius, quò & Ecclesiæ, & Mundi Proceres, in publicas, priuatasquè fidelium necessitates, opes vnà, & operam seriò impendere vrgeantur. Nec ad vlttricem Numinis iram procul auertendam, minorem sibi Patronum à S. V. poscunt præsens Orbis Christiani calamitas, Religionis pericula, Ecclesiæ iactura. Cum igitur virtutibus, & signis Beati Thomæ maturè iam pridem, & luculenter probatis, accedant Hispanici Regni simul, & Cleri vniuersi vota; imò & præsertim Regis Catholici preces enixæ, id pro auita, & verè augustissima Austriacæ Domus pietate impensè postulantis; erit sanè opportunum fidelibus, & præsidium, & exemplum, Beatum Thomam de Villanoua, auctoritate Apostolica, Sanctum dici, & coli sacro ritu. Iure enim post multiplex opus virtutis, & fortitudinis emeritæ debetur corona impressa signo sanctitatis, imò & magnificentia in sanctificatione illi, qui, vt cum Apostolo sanctificaret Christum in corde suo, propter miseriam inopum, & gemitum pauperum continuò exurgens cum Domino meruit etiam